

fessione ponitur. Deinde, quia dixi: incertum est, utrum Deo, an homini satisfacere, i. e. confessionem facere debeat, quamvis incertum sit, tamen videtur mihi, ut satisfaciatur, i. o. confessionem faciat homini, i. e. fratri spiritali, qui sciat, sicut regula dicit inferius, i. e. in capitulo XLVI, curare sua et aliena vulnera, non detegere et publicare.

## Cap. VI.

## DE TACITURNITATE.

Superius enim informaverat abbatem, qualiter deberet esse in his rebus, quae ad se vel in se attinent; deinde instruxit enim, qualiter deberet disponere, i. e. ordinare exteriora sua, i. e. res monasterii. Post vero, quia docturus erat caetera membra, docuit, quae sunt instrumenta bonorum operum in unum omnia comprehendens. Post indicationem instrumentorum boni operis, quia cognovit B. Benedictus, diabolum de coelo per superbiam cecidisse et Adam a Deo per inobedientiam recessisse, idcirco imprimis de obedientia et humilitate dixit; ait enim: *Primus humilitatis gradus est obedientia sine mora*. Sunt enim multi, qui dicunt, in hoc loco istum primum humilitatis gradum non pro ordine positum, sed pro magnitudine, quia non subsequitur enim secundus. Et iterum sunt alii, qui dicunt, non esse verum, ut pro magnitudine sit positus, sed pro ordine, quia inferius mentio fit timoris gehennae et arctae viae. Si enim mentio non fuisset inferius timoris gehennae et arctae viae, poterat esse pro magnitudine; sed quia, inferius fit mentio gehennae timoris et arctae viae, ideo in loco ordinis esse positus iste primus cognoscitur, ac per hoc videntur illi cecidisse, i. e. non recte dixisse, qui pro magnitudine dicunt esse positum. Sed econtrario respondent: Quomodo potest iste primus in loco ordinis esse, cum inferius dicit S. Benedictus: erigenda est scala? Jam quomodo dicit inferius: scala erigenda est, et iterum dicit: primus humilitatis gradus est, tunc iste primus non in ordine est, sed pro magnitudine. Insuper ista clavis, quae dicitur in De taciturnitate, non convenit illi primo, cum ille primus de obedientia et humilitate dicat, et hoc